


253.1 (45)


8
EPISTOLA
PASTORALIS
AD CLERUM ET POPULUM
PISTORIENSEM
ET PRATENSEM.



ROMAE MDCCCLXXX.

PER BENEDICTUM FRANCESI
SUPERIORUM PERMISSU.

EPIS T O L A
S I D A R O T S A P
P I S T O Y E N S E M
T P R A T E N S H M



Л О М А Н Е М Д С С Л X X X

С А Н К Т - П Е Т Е Р Б У Р Г
П А Н Г А І С Т О Р І Ч Н І Й
Академії наук

SCIPIO DE RICCIIS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS PISTORIENSIS ET PRATENSIS

SS. D. N. PRAELATUS DOMESTICUS
ET PONTIFICO SOLIO ASSISTENS.

*Venerabilibus Fratribus, Dilectissimi Filiis Capitulo, Clero,
& Populo suo salutem in Domino.*



UM primum novimus, VENERABILES FRA-
TRES, DILECTISSIMI FILII, providentia Cle-
mentissimi Principis nostri, & judicio, atque
auctoritate SS̄mi in Christo Patris D. N.
PII Papae VI., cuius solicitude ad omnes
se extendit Ecclesias, electos nos esse ad
Ecclesiae Pistoriensis, & Pratensis regimen, statim animo
concepimus totum quod ipsi sumus vobis deberi, & statim
ita vos charitatis vinculo amplexi sumus, ut semper me-
moriā vestri fecerimus in orationibus ad Dominum.
Aequum ergo erat hac ipsa die, qua consecrationis no-
stra munere accepto plenitudinem etiam potestatis ac-
cepimus; Vos de hoc commonere, Vos per litteras in
Domino salutare, testantes desiderium nostrum cito ve-
niendi ad Vos ad opus ministerii in aedificationem Cor-
poris Christi, & anticipantes nobis gaudium & consola-
tionem, quam ob fidem & pietatem vestram largius praes-
entes accipiemus. Fatemur quidem, ubi primum aliquis
rum ad aures pervenit de hac vocatione nostra, ita nos
esse velut inopino casu commotos atque percussos, ut vox

adhaeserit fauibus nostris : neque enim p^{rae} confusionē
 & timore mens erat ad dijudicandum aut quid consilii ca-
 pere , aut quo nos vertere oportet . Terrebat nos Mini-
 sterii sublimitas , terrebat iudicium Domini magnum super
 Pastores , qui ejus oves ipsis concreditas aut nesciunt in-
 vias salutis dirigere , aut negligunt : neque blandiebamur
 nobis aliquid posse ex eo quod Vicarii munus per plures
 annos in Florentina Dioecesi gesserimus ; nam et si Clerus
 ille omni virtutum genere conspicuus errorum nostrorum
 oblitus , deque nostra tantum bona voluntate cogitans , ea
 dederit amoris & benevolentiae signa ob sibi praestitam in
 ministerio servitutem , ut non sine lacrymis in grati ani-
 mi testimonium nos discedere coegerit ; in multis ta-
 men offendisse scimus ; & fatemur , si quid minus male egi-
 mus , totum acceptum debere Patri nostro amantissimo Ar-
 chiepiscopo Florentino , cuius doctrina , pietas , patientia ,
 debilem sustinuit , frigescentem favit , imperitum instruxit .
 Ex eo itaque tempore experti fuimus , quam periculosem
 esset imparibus meritis tam sublimi satisfacere dignitati ,
 ideoque libenter a tanto munere liberari optabamus . Sed
 aequae etiam terrebat , quae lata est a Domino adversus
 servum , qui acceptum talentum abscondit , maledictio ,
 quia verebamur ne oblatam crucem baiulare detrectantes
 a via aberraremus , per quam Dominus fortasse constitue-
 rat , ut eum sequeremur ad aeternam in Coelis gloriam
 promerendam , quam nobis Sanguinis sui pretio adquisivit ,
 & quae unum plane est necessarium . Itaque iterum ite-
 rumque clamabamus gementes ad Dominum ut si quo modo
 inculpatim a tam gravi ministerio liberaremur . Verum quo-
 niam sic fuit placitum ei , cuius nutu omnia fiunt , ut tam
 formidando oneri humeros subiiceremus , ideo , cum adhuc
 refugeret animus vel cogitare quae in Episcopis requirit
 Apostolus Paulus , ad illa nos vertere opus fuit , quae fra-
 tum magnitudine dignitatis animum aliquo modo subleva-
 rent .

rent. Et sane valde nos sublevavit dulcis recordatio sanctissimi viri, qui hanc ipsam olim rexit Pistoriensem & Pratensem Ecclesiam, Gherardi nempe Gherardii, quem cum aliqua sanguinis coniunctione devincimur; speravimus enim futurum fore, ut eius exempla incitamento nobis essent perpetuo ad rem bene gerendam, quam ipse gessit egregie. Praeterea, & quidem maxime, mentem exercitam & agitatam recreavit Virgo inclyta Catharina, de cuius agnatione potius quam de fumosis imaginibus iure gloriamur; dubitare quippe non poteramus ut quae gentem suam tanto favore semper prosequuta est, modo nos ad Episcopatum enectos illius Ecclesiae, in qua sacram eius Corpus requiescit, suo praefidio destitutos relinqueret. Accessit ad haec praeclara de Ecclesia Pistoriensi, & Pratensi fama undique circumfusa. Vivunt namque etiam nunc, vivunt Praedecessorum nostrorum monumenta magis quam in externo cultu in animis omnium insculpta. Vivit memoria Friderici Alamanni, qui factus forma gregis ex animo, & spiritu consilii & fortitudinis plenus ita vestram gubernavit Ecclesiam, ut florentissimam aeterno Sponso suo restituerit. Qui vero huic sufficitus est Ioseph de Hipolytis tanto amore eam prosequutus est, ut non tantum neque carnem neque sanguinem respexerit, sed Gentem quoque suam adduxerit ad honorifica Familiae iura in Ecclesiae commodum abdicanda, avitumque patrimonium non parva ex parte dedicaverit; qui, quamvis magis ostensus quam datus, tot ac talia reliquit exempla virtutum ut Gregis pars una Pastorem, alia Magistrum, pauperes in illo Patrem amissum senserint: ac tota Ecclesia iam Alamanni cura ornatissima, non modo in antiquo cultu se fuisse servatam, sed etiam non parum splendoris eius opera sibi accessisse libens meritoque aeternum profitebitur.

In Domino itaque confortati, & in potentia virtutis eius, in quo omnia possumus, & sine quo nihil sumus

sumus, Venerabiles Fratres, Dilectissimi Filii, ad Ecclesiae vestrae administrationem adcedimus expectantes a Domino gratiam in auxilio opportuno, ut ipse custodiat introitum nostrum, & in laetitia consummemus cursum nostrum, & ministerium verbi, quod accepimus a Domino Iesu testificari Evangelium Gratiae Dei. Quapropter vestram opem imploramus, quotquot ad Altaris munus estis assumti. Deprecamini cum clamore valido, & lacrymis ostiam offerentes, ut ministerium nostrum secundum Apostoli monita digne impleamus.

Ac primum vos compellamus, qui ratione muneris & dignitatis principem in Ecclesia tenetis locum. Vos estis Ecclesiae Senatus, quorum opera, & consilio multum nos iuvari confidimus; cum enim persuasum nobis esse debeat, ut monet Sanctus Bernardus, Episcopale opus, curamque Pastoralem digne non posse administrari sine consilio, illud in animo est ita Ecclesiam nostram administrare, ut semper nobis usurpare liceat Sancti Cypriani verba: *Quod ex primordio mei Episcopatus statuerim nihil sine consilio vestro mea privatim sententia gerere.* At vero etiam vos gerite tamquam membra suo capiti cohaerentia, nec dedignemini ullo umquam tempore coadiutores, & cooperatores Episcopi vestri iure merito dici.

Universis vero Pastoribus animarum, quorum curae pars aliqua Gregis nostri commissa est, quantum in Domino commendemus, ut oves suas in iustitia, & veritate, ut monet Sancta Tridentina Synodus, pascant, & regant, dicere satis non possumus. Scimus quidem Seminarium Pistoriense iamdiu celeberrimum talibus doctrinae, & pietatis argumentis vos iam a pueritia imbuisse, ut ad recte parochialia officia obeunda nihil desiderare quis possit. Sed cavete ne unquam in vacuum Gratiam Dei recepisse videamini; cavete ne unquam lumen, quod in vobis est, tenebrae fiant, & illud. *Vae audire debeat*, quod Ezechielis

voce

voce Pastoribus Israel dixit Dominus Deus . Pascite verbo & exemplo gregem vestrum , & quod infirmum est consolidate , quod aegrotum sanate , quod confractum est alligate , quod abiectum reducite , quod perierat quaerite , ita ut oves non dispergantur , sed illud dicere possimus de vobis , quod sollicite curastis vosmetipos probabiles exhibere Deo operarios inconfusibiles recte tractantes verbum veritatis .

Vos autem quotquot estis fideles electae Sponsae nostrae Filii charissimi , rogamus , & obsecramus , ut semper sitis Pastoribus animarum vestiarum obedientes , & ab eis accipientes quomodo oporteat vos ambulare , & placere Deo , sic ambuletis , ut abundetis magis ; haec est enim voluntas Dei sanctificatio vestra . Idcirco illorum exhortationes audituri solemnibus , festisque diebus ad suam quisque conveniat Parochialem Ecclesiam , ut sic & Pastor oves suas melius agnoscere possit , & ipsae vocem eius audiant , & discant vas suum possidere in sanctificatione , & honore . Hoc a vobis expectat Ecclesia : hoc Nos a vobis enixe exposcimus : ad quod excitat etiam vos , atque impellit Regii Archiducis Petri Leopoldi M. Ducis nostri amantissimi pietas , & providentia , qua cunctos sibi subiectos populos ad omnem iustitiam sectandam clementissime promovet , atque conductit .

Demum ad Vos convertimur Sacrae Virgines Christi Sponsae , quae a saecularibus curis liberae , ac solutae in orationibus , & vigiliis vitam ducitis , & estis gregis Domini primitiae , coronae fidei , pretiosae margaritae , ac templi illius lapides , cuius fundamentum , & lapis angularis est Christus : adiuvate nos precibus vestris ad Deum , ut aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi , & manifestandum illud ita ut oportet .

Ut autem oratio vestra , Venerabiles Fratres , Dilectissimi Filii , sit accepta apud Deum , & gratia Dei id percipiamus , quod petimus , Beatissimae Virginis Mariae , & San-

cto-

etorum utriusque Ecclesiae Tutelarium imploramus auxilium, sperantes, quod eorum meritis dabit nobis virtutem, qui contulit dignitatem.

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis.

Romae extra Portam Flaminiam vii. Calendas Iulias A. S.
CCCCCLXXX.

